

Alte Drucke

**PSALTERI-||VM DAVIDIS CARMI-||ne redditũ per
Eoba-||num Hessum. || Annotationes Viti Theodori ... quæ
vice commentarij ... poßint. || ECCLESIASTES ...**

Hessus, Helius Eobanus

Parisiis, 1552

ECCLESIASTES SOLOmonis per Helium Eobanum Hessum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150882

ECCLESIASTES SOLO-
monis per Helium Eobanum
Hessum.

REgia qui tenuit Solymarum sceptrā potentū,
Psalmographo Solomon de genitore satus,
 Cui celebrata dedit generosum concio nomen,
Hac loquitur, certa verba probanda fide:
 Omnia sunt omni vanissima tempora, quorum
Nec lex, nec ratio, nec via certa manet.
 Nam quæ cōmoditas, quis fructus ab omnib⁹ istis,
Quæcunque in toto Sol videt orbe geri?
 Scilicet immodicis mortalia pectora curis
Vexent, ut fructum quantilibet inde ferant:
 Non tamen inveniunt quod quasiuere, nec ullum
Hinc opera precium commodioris habent.
 Omnes qui siquidem mortales carpinus auras
Semper ad interitum turba parata sumus.
 Cūque manus assidue rapiamur mortis avara,
Mox alij subeunt, qui loca nostra petant.
 Interea non mota suo stat pondere tellus,
Ceu locus hac in quo fabula posita agi.
 Non secus ac plenum populo spectante theatrum,
Alternæ celebrent quod sine fine rices.
 Sol nunc Hesperius intrat, nunc exit ab unda,

Nunc reuehet celeres, nunc reuocabit equos.
Atque ita continuo qua conspicit omnia motus
Mutat, & ut constans nil sinat esse facit.
Tollitur humentem nunc ventus flatus in austrum,
Nunc idem boreæ frigida regna petit.
Nunc alias orbis partes operosus oberrat,
Donec eò redeat, vnde profectus erat.
Flumina in Oceanum labentia cuncta feruntur,
Nectamen Oceanum fluctus & vnda grauant.
Nā simul intrarunt mare flumina, cūcta remittit,
Vnde queant cursus mox iterare suos.
Du mirequies rebus nunquam datur ulla, nec vllō
Tempore consistat quicquid in orbe vides:
Nemo potest rerum certas cognoscere causas,
Nemo potest rerum nomina vera loqui:
Nanque oculos fugiunt se contēplantis, & aures,
Atque ita pratercunt dum remanere putas.
Nostri etiam sensus omnes mutantur in horas,
Nec quod verè horum iudicet vllus habet.
Vertitur ipse etiam ventus agitabilis aer,
Nec species veras, nec simulachra refert.
Quicquid ab antiquo rerum natura creauit,
Hoc etiam series temporis huius habet.
Cui similes alias producet serior etas
Effigies, aded res modo nulla noua est.
Nulla aded noua sunt sub aperti lumine solis,

*Quæ tales possint nō subisse vices.
Vlla darine potest res, de qua dicere possis,
Hæc noua res aliquo tempore nulla fuit?
Nulla potest, nam præterito fuit illa sub auro,
Et perit, velut est hæc peritura breui.
Tempora nostra nihil prorsus meminere priorum,
Vno nanque omnes interiere modo.
Nos quoque quæ stultè nostris miramur in annis,
Quæque agimus, nunquam secla futura scient.
Ipse ego cui tribuit sacratum concio nomen,
Qui fero sublimi regia sceptrâ manu.
Tota licet solus Iudaica regna gubernem,
Et Solymas habitem possideamque domos:
Pectore in hoc toto, tota huc ratione ferebar,
Hoc mea mens avidè parturiebat opus:
Vt rerum causas scrutarer, & omnia scirem,
Quæ fieri celsa Phœbus ab arce videt.
Anxius ille ardor studij mortalia terquet
Pectora, job idque animus indidit ipse deus.
omnia scrutatus quæcunque sub æthere sunt,
Inueni propter nomina vana nihil.
Quæ tamen vt cum sint vanissima, scire volentū
Anxia perturbant pectora mille modis.
Quod semel ad nihilū est ex omni parte reditū,
Restitui nulla conditione potest.
Talibus hic autem, quæ sint obnoxia damnis*

Compendi numero qua ratione queant?
 Cognita cunque mihi sapientia multa fuisset,
 Adieci à priscis multa reperta viris.
 Nam studio sunt multa meo superaddita, quæ sine
 Auxilij rebus non habitura parum.
 Ut scirem toto ingenio studia ista sequebar,
 Elogium veri quæ sapientis habent.
 Vix ea consequerer magis, & perfecta tenerem,
 Stultitias etiam discere cura fuit.
 Sed dum conor & hoc video tormenta, labores,
 Indignumque animi se cruciantis opus.
 Nam quicumque volet sapientior esse videri
 Omnibus, atque ista nescit in arte modum:
 Multa ingrata feret, multa experietur amara,
 Plurima cogetur non toleranda pati.
 Qui verò studiis nona sæpe prioribus addit,
 Ipse sibi dempto sine molestus erit.
 Nil nisi vana igitur spectans ludibria rerum,
 Ipse mihi cæpi talia verba loqui:
 Oblectare iocis, risus age, non tibi deerit
 Copia, nec vita luxuriantis opes.
 Vtere deliciis præsentibus, vtere quicquid
 Latitia mentes exilarare potest.
 Hac ego dicebam, sed & hæc quoque vana putauit,
 Et vidi stabilem non habitura locum.
 Infelix fatum sequitur dementia risum,

Vita sit immodicus omnis inepta iocus.
 Ergo ego constitui contemnere quicquid ubique
 Dulce voluptatum copia dives habet.
 Abstinnisse mero, conuiuia spernere, corpus
 Amplius haud ullis exhilarare modis.
 Atq; ita stultitiâ, quia vita humana referta est,
 Discere, quæ reliquis rebus inesse solet:
 Si quid fortè animo vel in his occurrere posset,
 Quod sequar, & vanum non videatur opus.
 Ista voluptatum mihi dum genera omnia sumo,
 Hoc ut prætextu discere multa queam:
 Non perit illecebris, non curis languet ab istis,
 Non animus solitum deserit officium.
 Singula sed iusta perpendens facta bilance,
 Prudentis partes & sapientis agit.
 Ergo nec aggressus vulgaria condere cæpi,
 Quæ nulle possent adibus esse pares.
 Plurimæ per nostros plantata est vineæcolles,
 Multa mihi in patriis floruit vna iugis.
 Mille voluptatum viridaria plena parauî,
 Immo meris plenus floribus hortus erat:
 Arboribus quem fructiferis conseruimus omnem,
 De genere hiearbor quolibet vnus erat.
 Iussi etiam extructis manare canalibus undam,
 Ut virides hortos irriget humor aquæ.
 Præsi diis institui, famulos famulâsque coemi,

E quibus est vernis pluribus aucta domus.
 Armenta atque gregum possedi plura minorum,
 Quam Solymis quisquam qui prior obtinuit.
 Quanta mihi fuerit fulvis preciosa metalli,
 Quanta mihi argenti copia, nemo roget.
 Innumerabilibus mea regia dotibus aucta est,
 Quales precipue regia sceptris decent.
 Praefectos plures statui, terraeque marique,
 Quos fuerant regni credita iura mei.
 Cantores etiam cantatricesque coegi,
 Esset ut in nostra Musica tota domo.
 Quas fieram multa formas arte puellas,
 Nec vidit plures nec tulit ulla domus.
 Has siquidem nulla est feritas tam barbara, quae non
 Sit licet ingenti plena rigoris amet.
 Hoc ego magna modo sum nactus nomina, meque
 Clarior veterum sanguine nemo fuit.
 Omnibus his se vera ducem sapientia rebus
 Praebuit, et constans adfuit ipsa mihi.
 Ex his quicquid erat, quod pascere posset ocellos,
 Hoc ipsi tanquam pabula lata dedi.
 Nullum latitavit genus, et non ulla refugium
 Gaudia, momento nostra futura breui.
 Quin se animus potius noster presentibus explet
 Deliciis, quibus est maxima cura frui:
 Cumque nimis multo studio quaesita viderem

Plurima quaesitis abstinuisse queam?
Nam nihil inveni fructus ex omnibus istis,
Quae bona hinc credam commodiora dari:
Obletabilibus quam pascere lumina spectis,
Quam renouare animi gaudia mille modis.
Iamque recensebamque, & mecum cuncta relegi
Omnia, quae nostrae constituere manus,
In qua visus ego tantum insumpsisse laboris,
Ante ea quam prorsus perficerentur, eram.
Omnia deprendi nihili res esse, nec vlla
Semper in infraeto parte manere gradu.
Quae tamen excrucient animum, curaque molesti
Saepe suis fractum sedibus excutiant.
Atque ita re nulla stabilem consistere fructum,
Donec in hoc fragili corpore vita manet.
Demum respiciens ad easdem rebus in iisdem,
Quam fuerim sapiens noscere cura fuit.
Vidi quanta foret temulenti insania Bacchi,
Quanta mala ebrietas perniciose ferat.
Stultitia reliquae res non caruere, nec vlla
Erroris maculam non habuere sui.
Nā quis homo est, aliquid conari se gradus ausi
Ut referat regis facta stupenda dei?
Cum nimium nec possit in his equare laborem,
Quos dedit innumeros, & dabit omnipotens.
Verum stultitia quantam sapientia distet,

*Hæc ratio est ista cognita lege mihi.
Vt quantum tenebras differre d luce viderem,
Tantum illa hæc esset posteriore loco.
Nā sapiens in fronte oculos habet, omnia spectans,
Omnia prudenti cum ratione videt.
Palpitat in tenebris stultus cœu lumine cassus,
Et nihil, & nulla cum ratione videt.
Sed tamen hoc certum est, idem manet exitus oēs
Interea, & vanis omnia vana cadunt.
Ergo ego sic mecum: si non sim liber ab istis,
Que stultos, veluti somnia vana, mouent:
Quorū conabar fieri sapientior a quo?
Cur aliis in me plus rationis erat?
Ergo iterum vidi, quā nec sapientia vanis
Et stultis careat finibus ipsa suis.
Pluribus haud etenim sapiens memorabitur annis
Quā stultus, quoniam vixit vterque breuē.
Sicut enim quod præteritis effloruit annis,
Nocte graui pressum nunc sine fine iacet:
Sic etiam quod nunc præsentī floret in æuo,
Flumine letheo secla futura prement.
Idem finis erit stulti & sapientis, & vno
Parca ferox fato coget vtrūque mori.
Curus ergo hominum tam detestabor ineptas,
Quorum esset miseris perdita vita modis.
Cum nihil aut fructus, aut floris vbiq; viderem,*

*Sed magis innumeris omnia plena malis,
Omnia sydereo qua lustrat lumine Phœbus,
Plus nimio vani quàm bouitatis habent.
Et nihil hæcstant, quàm quod noctesque diēs
Excrutiant animos, supplicioque premunt.
Odi etiam magno quantumuis parta labore,
Atque meum toto quicquid in orbe fuit:
Cuncta quod heredi sunt hæc tradenda futuro,
Qui mihi successor constituendus erit.
Quis nouit sapiens, stultusque sit ille futurus,
Qui mea qualis erit cunque relicta feret?
Cuncta feret certè tanto congesta labore,
Per vite spacium tempora longa mea.
Hæc quoq; dum meditor, quæ possit causa videri,
Vanior est vana vasa fuisse mihi.
Ergo animo curas euellere protinus omnes
Constitui, quibus hæc anxiosa vita fuit.
Hoc ego cum facerem sapientior esse videbar,
Inter quos solis lumina cunque vident.
Namq; tibi vt fuerit sapientia cognita, palmam
Eximia rerum cognitione feras.
Instituas omnem sine luxu degere vitam,
Tecum auferre tamen nil potes inde tuum.
Cuncta tamen quæcunque tenes possessi relinques.
Illi cui cura res tua nulla fuit.
Hoc quoq; cur hominē nō torquat hoc quoq; vanū*

Cum sis, habet meritò nomina vana, malum.
Que nanque his curis obnoxius, anxia terquens
Pectora, quæ sua sint, accipere inde potest.
Vita hominis misera, & multorū plena malorū,
Omnia conando tedia multa subit.
Infelix animus tacita nec nocte quiescit.
Hæc quoque rem vanam dicere iure potes.
Nil homini melius quàm si oblectetur in istis,
Que natura manu liberiore dedit.
Nempe cito vinò que volens indulgeat, & se
His opibus recreet, quas deus ipse dedit.
His etenim, cum sint divina munera dextra,
Vt tristitia non prohibente, decet.
Nam quis splendidior me sumptibus extitit ullis?
Cui magis hac, inquam, dextra benigna fuit?
Certè hominis què dexter amat deus, hu dabit vti
Rebus, & ut sapiens alia dona probet.
At coaceruandi studium dimittet iniquo,
Vt præcium lucri congerat omne sui.
Atque ea que demum congesserit, omnia tradet
Illis, cui Deus hac vñibus esse volet.
Multa igitur cum sint in rebus inania cunctis,
Dic age quid vano vanius esse potest?
Omnia mutantur vñibus nascentia certis,
Nec quicquam stabile est, quod queat esse diu.
Qui nunc nascuntur, morientes tempore cerio,

*Que plantata vides, auferet horu sequens.
Olim planta fuit, que nunc succi litat arbor:
Que nunc destruimus, structa fuere prius.
Nunc sita nimio deducimus anxia vite
Tempora, nunc risu solvimur inmodico.
Nunc aliquo atterimus lugentia pectora casu,
Iam non lætitiæ nos modus ullus habet.
Diruimus veteres, & ab iisdem sepe ruinis
Venit cura nouas ædificare domos.
Interdum placuit cupidis amplexibus vi,
Oscula nonnunquam displicuisse solent.
Quarimus interdū, quod perdere deinde queamus,
Nunc positas nuper dilapidamus opes.
Que modo cōsumimus, iam nūc discerpimus: & sunt
Garrula tunc nobis guttura, muta modo.
Sepe aliquos raro affectu constanter amamus,
Sepe odio insequimur, qui modo gratus erat.
Sepe inimicitias agimus, quas ponere tandem
Collibitum est, & pax gratior inde venit.
Quem tandem ex rebus tam se pugnantibus inter
Mortalis fructum sumere queso potest?
Hæc Deus humana immisit ludibria menti,
Vt meritas habeant pectora nostra cruces.
Omnia quæ dominus fecit, pulcherrima fecit,
Et bona quæque suo tempore, quæque loco.
Totius ille idem fecit lusera ardua mundi,*

Humidi

Humanisq; oculis conspicienda dedit.

Scilicet ut rerum miracula tanta videntes,

Grande creatoris confiterentur opus.

Quaquam tantarum causas et condita rerum,

Nemo unquam potuit noscere, nemo potest.

Hic quoque deprendi, nil esse sub omnibus illis,

Quod inuet, auxilium prater habere nihil:

Quam genio indulgere, animiq; remittere curas,

Donec nostra calens corpora sanguis alat.

Hoc cui contigerit donis presentibus us,

Placati munus credat adesse Dei.

Tale etenim certe fiet quodcumque futurum est,

Quale ipsum dominus, qui facit, esse volet.

Nec quicquam adiciet quicquam, nec tollet ab illo,

Quod facit ut sese nos vereamur, opus.

Nil sub sole noui: quod enim fuit ante, futurum

Sic fuit, atque ipsum secula futura ferent.

Astidue siquidem reuocat quaecumque fuerunt,

Séque hinc, ceu celeri proripere gradu.

Et reuit in toto non sit satis orbe malorum,

Ex variis rerum disparibusque modis.

Vidi iustitia loca designata ferende,

In quibus impietas ipsa tyrannis erat.

Simplicis in cathedram successerat impius aequus,

Et regni extulerat sceptrum cruenta sui.

Hac ego miratus, tacito mihi murmure dixi,

Vtraque constabit iudice causa Deo.
 Iustus enim sub eo stabit, cadet impius, illo
 Iudice, qui iustum iudicat, atque facit.
 Omnia nanque breui sunt discernenda per ipsū,
 Quæ vel agit, vel nunc cogitat omnis homo.
 Cum nihil his aliud rebus excusa esse viderem,
 Ista ferè mecum qua meditabar erant.
 Has Deus immittit pestes mortalibus agris,
 Talibus vt monstris corda superba domet.
 Vt cum se videant brutorum viuere vitam,
 A pecorum vita non procul esse sciant.
 Nā nec habent humana aliud ludibria, quā q̃
 Brutorum faciāt sensibus esse pares.
 Et mors est eadē brutique hominisque, nec ulla
 Illius est huius conditione prior.
 Nec potis est animam potiorē dicere quisquam
 Esse hominis, quā qua viuere bruta vides.
 Ne p̃stant homines quicquā ṽllo nomine brutū,
 Quod tam sunt vani hi, quā nihil illa valeat.
 Siue hominē spectes, seu quicquid ubiq; creatū
 Idem quo tendant & locus vnus erit. (est
 Cuncta suos repetēt ortus, matrēque requirēt,
 Et quæ cuncta dedit, cuncta vorabit humus.
 Et quis scire potest, quid sit post fata futurum?
 Siue anima ad superas nostra abitura domos?
 An potius moritura agro cum corpore, sicut

Utroque interiunt omnia bruta modo?
Omnia quæ postquam cognoui vana putabam
Omnia præclarum consuluisse boni:
Pellere tristitiam, sine sollicitudine vitam
Degere, nec parius abstinuisse manum.
Asunere enim diuinum data sunt mortalibus ægris
Hæc bona, ut oblectent his sua corda datus.
Cætera sunt aliena hominibus, quæ cuncta relinquet,
Et nihil ex illis post sua fata feret.
Quantumvis nimis sunt anxiosa pectora curis,
Nil prodest, nihil hinc utilitatis erit.
Ultima quis dicet, quid sit post fata futurum?
Ergo & stultitia res habet ista satis.
Hinc aliò vertens animum, mortalia vidis
Pectora diuersis exagitata malis.
Innumeros vides flentes, quos scilicet hostis
Impius iniustus cladibus afficeret.
Nec quisquam miseris aderat solatia præbens,
Qui placidam duro tempore ferret opem.
Illa ego conficiens felices esse putabam,
Qui nuper visum deseruere dicam.
Sed tamen his magis felices, nimiumque beatos,
Quos nullo nasci tempore contigerit.
Et siquidem nihil istorum videre malorum,
In quibus hæc omnis vita sepulta iacet.
Longa me docuit facta experientia ab usis,

In nostris sani mentibus esse nihil.
Huc studia, huc mores hominum potiora referri,
Vicinum ut possit quisque nocere suo.
Ut quas quisque queat sibi consuluisse per artes,
Altera in alierius damna paratus eat.
Que quid habet aliud, quam curas atque labori,
Et miseras animo se laniante cruce?
Hos alij toto vitantes pectore mores,
In vitia his etiam deteriora ruunt.
Segnia continuo ducentes ocia luxu,
Exiguo absumunt tempore quicquid habent:
Donec egestosa iam paupertate coacti,
Ipse se miseros & sua membra vorent.
Tu potius duro sapiens insiste labori,
Quodque facis, satius non remoretur opus.
Quod si forte manu tibi non implebit utraque
Copia, tu letus quantulacunque tene.
Præstat enim minimo gaudentem vivere lucro,
Quam luxu miseros præcipitare dies.
Hinc aliò vertens oculos, vanissima vidi
Plurima queis poterat vanius esse nihil.
Sunt qui cuncta hominum fugiunt consortia: tanquam
Ad se pertineant commoda nostra nihil.
Qui neque coniugij, charissima pignora, fructus
Nec sociæ quicquam conditionis habent:
Et tamen haud aliter duros obire labores,

Quam si multa hominum millia alenda forent:
Quorum nulla sitim sedauerit vnda nec Hermi,
Nec fluuio fului diues arena Tagi.
Hi nunquam ad sese redeunt, vt dicere possint:
Cui miseri tantis accumulamus opes?
Quos propter geniū fraudamus & ista subimus,
Que parit assiduus tedia multa labor?
Cui bona contrahimus tot tantæque, nec tamē vi
Possumus, aut vllō nos recreare modo?
Horum si qua alia est, hæc est insignior omni
Stultitia, atque aliquem non habet ista modum.
Hoc animum torquet noctesque diesque, nec vllō
Tormentum requiem tempore habere sinit.
Quare commodior visa est mihi vita duorum,
Quos vna equali iungit amore fides.
Nam sociata fides ingentia commoda prestat,
Et mala que ferimus plurima saepe leuat.
Nam si de sociis alter cadat, erigit illum
Alter, & abiectum non sinit esse diu.
Et forsā periturus erat, nisi subleuet ipsum,
Et ferat optatam fidus amicus opem.
Si duo conueniant in eodem corpora lecto,
Calfacit amborum mutuus ossa calor.
Solutus, & in vacuo recubans sine compare lecto,
Frigida vix aliquo membra calore rigat.
Raro vnus potuit vires vicisse duorum,

Et graviora triplex robora funis habet.
 Egregie iuuenis cordatus, & indole prestans,
 Rege sene & stupido est nobilitate prior.
 Qui tacuit tetro quandoque in carcere vinctus,
 Parta suis meritis regia sceptris tulit.
 Sæpe etiam regum de sanguine natus, ad ima
 Corruit, & proprias dilapidauit opes.
 Illius ambit amicitiam sibi quisque profecto,
 Quem patris effecti, sceptris ferenda manent.
 Nec minus ante senem multa pietate colebant,
 Dum iuuenis regno præficiendus erat.
 Sicut & ante fuit multis grauis ista tyrannis,
 Sic etiam iuuenis durior huius erit.
 Hec quoque res alias inter vanissima visa est,
 Ambitus hic animo tædia multa mouet.
 Sacra salutiferi subiturus limina templi,
 Ne tuus incipiat pes titubare cane.
 Et dociles adhibe dictis præsentibus aures,
 Gratiior est ipsi victima nulla Deo.
 Crata Deo non sūt pingues holocausta per arat,
 Nec sacra quæ stulti perfoliære manus.
 Nescit enim mala quæta patret mens impia stulti,
 Dum mala tantum ipso nomine multa facit.
 Cumque Deū timida venerabere voce precatus,
 Hunc te audire, tibi hunc semper adesse puta.
 His ne diuinis multis ornaueris aures

*Vocibus, immodicus non amat ille preces.
Nam qui nulla suis precibus moderamina ponit,
Aut raro aut nunquam quod petiere ferunt.
Ante Deum quis enim cupiat disertus haberi,
Aut nimia inflato gutture verba loqui?
Ipse etenim cæli solio sublimis ab alto
Omnia cælesti lumine nostra videt.
Vique videt, sic quæ gerimus Deus omnia novit,
Qua ratione huic tu garrulus esse voles?
Sicut enim nimie gignunt insomnia cura,
Sic adimunt precibus plurima verba fides.
Si tamen orando quicquid promiseris, ipsum
Absque mora studeas persoluisse vide.
Ne tanquam insipiens promittere multa paratus,
Hac ipsa offendas conditione Deum.
Prestat enim voluisse nihil, quàm reddere nunquam,
Aut nihil ergo voue, vel facienda voue.
Ergo caue, ne lingua loquax te crimine tanto
Obruat, irriterent ut tua verba Deum.
Neve putes ipsum res negligere angelon istas,
Qui te, qui reliquos, qui tua cuncta videt.
Quem sibi peccati virum mens conscia testem,
Non se, us ac ipsum cõspicit ante Deum.
Nam tibi promissu nimio, nimiumque loquaci,
Polliciti ratio vix satis ulla fuit.
Quod tu tam leue forte putas & inutile facturus,*

offendit mira conditione Deum.
Ergo preces non ille tuas exaudiet vquam,
Certe in ingratum vertere quicquid ages.
Sicut multa vagas ubi turbant somnia noctes,
Multa quoque ex illis vana venire solent:
Sic etiam in multis verborum ambagibus error
Plurimus, & multis plurima vana modis.
Quare age tu reuerere Deum, verumque timorē
Illius in tacito pectore semper habe.
Pauperis oppressi cladem si videris vsquam,
Si sua iustitia iure negata cadunt:
Ne sic obstupeas, ne sic mireris, vt ipsum
Talia facta Deum posse latere putes.
Nam malus ille suum quoq; habet qui talia curet,
Et super hos regnat maior vtroque manus.
Rex etenim toti terræ qui presidet vnus,
Omnia constituet legibus ista suis.
Hic faciet deserta coli regionis & agros,
Vnde bonis large suppedientur opes.
Summū, rede mihi, terreno hoc munus in orbe est;
Qui tibi non vane fundat agellus opes.
Qui fructu queat assiduo satis esse colenti,
Et ferat alternus munera iusta labor.
Talis ager cui contigerit, num iura beatum
Dixeris? & certē rex erit ille mihi.
Magnarum quem vexat opum vesana cupido,

Nunquam erit aggestis ut satur esse queat.
Nec fructum ex illis feret unquam dives avarus:
Quid precor hoc etiam vanius esse potest?
Diuitie plures ubi sint, ibi plurima turba est,
omnia quae multo parsa labore vorat.
Nam quid habent aliud fructus, nisi dives ut illas
Absumi videat nocte dieque miser?
Crata quies post exhaustum solet esse laborem,
Seu modica est alicui, seu bona cena domi.
Nullae graues capiunt opulenti somnia cura,
Dormire hunc etenim non patiuntur opes.
Est genus hoc etiam satis exitiale malorum,
Et quo vix aliud tristius esse queat.
Diuitia nam saepe viri, qui condidit illas,
Seruate in proprium damna tulere caput.
Dilapse dominos miserè afflixere, quod haeres
Illi succedens auferat inde nihil.
Sicut enim progressa suae sunt matris ab aluo,
Sic ortus repetens corpora nuda suos.
Et nihil horum alicui secum hinc auferre licebit,
Plurima quae propter saepe molesta tulit.
Hoc quoque triste malum, genus hoc miserabile vi-
ta est,
Qua veniunt omnes, haec repetenda via est.
Quid prodest igitur variis affligere curis,
Atque animum nulla posse quiete frui?

Aerumnosi homines cunctos vivere per annos,
Semper & ipsorum sordida vita fuit.

Rectius ergo bonis vita paritque fruemur,
Qua tanto peperit nostra labore manus.

Hac inter misera nō pauca incommoda vite,
Qua grauibus curis pectora nostra premunt.

Precipue cum vita brevis minuatur in horas,
Et qua ferre potest commoda sola ferat.

Si cui diuitias dederit Deus, addat eidem
Vti magnifico pectore posse datis.

Hoc ingens Dei est donū, quis nesciat? atque hos
Munere censenda est dextra benigna Dei.

Quisquis enim talis fuerit, non ille bonorum
Qua Deus obtulerit, non memor esse potest.

Nec mala turbabunt hunc huius plurima vite,
Quod Deus hunc letum pectus habere iubet.

Cūque viderentur genera infinita malorum,
Hoc quoque de multis, quod meditabar, erat:

Vidi diuitis sauiros, quibus ipse benignas
Copia de cornu diuite fudit opes.

Quorum magna domos impleuit gloria, & illis
Iam nihil, hac vltra quod peteretur, erat.

Sed Deus his animum quo possent talibus vti
Non dedie, hi partis abstinuere manum.

Cuncta relinquentes hereditus ista futuris,
Forsan & ignota dilapidanda manu.

Hæc res vana quidē, sed nulla frequentior vsquā,

Et quæ plus hominum mentibus insideat.

Si quis forte dominatorum pignora centum,

Et simul innumeras accumularit opes:

Si super, & plures vitam producat in annos,

Defraudet genium qualibet arte suum.

Inde sepultura careat neglectus honesta,

Qualia diuitibus multa venire solent.

Hoc magis est felix, fracta qui matris ab aluo

Editus est, vsusq; mortuus ante diem.

Hic etenim quanquā in superas nō venerit auras,

Nec vaga luciferi viderit hora Deis:

Liber ab ærumnis tamen exitit ille, cruces quæ

Perpetuas animi dives avarus habet.

Quid prodest si quis viuat his mille per annos,

Qui volet à propriis abstinuisse bonis?

Nōne suum finem tam longo morabitur ætas?

Cunctorum & finis, qui fuit huius, erit?

Non alios homini fructus peperere labores,

Quàm nisi ut ex animo vivere possit, edat.

Quod quāquā facile est, animo tamē oīa desunt,

Expleri cuius dira cupido nequit.

Num bona præstabunt sapienti plura labores

Quàm fatuo? et quis ī hoc est ne hic, an ille prior?

Sola suos inopi confert industria victus,

Vnde aliorū hominum vivere more queat.

Ergo oculos melius presenti est pascere fructu,
Quàm variis animum motibus esse vagum.
Munere concessis presentibus utere diuim,
Omnia donanti mitte futura Deo.
Is larga quaecunque dedit tibi munera dextra,
Non dedit ut parcas, ut fruerere dedit.
Querere plura animo se non capiente, molesta est
Crux nimis, & finem non habet ista fames.
Cur quod nondum olim fuerat, iam nomine notū
Ante Deum, prius & quàm pareretur, erat?
Quodque idem ille, velit nolit, post tempora multa
Esset in humana carne futurus homo.
Nec possit nisi cum domino contendere frustra,
Cur se non alium fecerit, aut alium.
Qui volet ergo Deo multis contendere verbis,
Vanus hic est, solida nil rationis habens.
Que Deus humana, seu sint bona, seu mala, vita
Immittit, placido pectore ferre decet.
Nō homo nouit enim quid inutile, quid ue petēdū,
Donec in hoc tristi viuatur exilio.
Qualis enim vana est umbra fugientis imago,
Talis vita hominum praterit, errat, obit.
Dicere quis poterit, quidnam sit in orbe futurum,
Que bona quodue malum qualibet hora ferat?
Sunt optanda magis pure bona nomina f. m. a.
Nobilis vnguenti quàm preciosus odor.

*Et melior suprema dies in limine mortis,
Quàm que natali sydere prima fuit.
Et plus te socium lugentibus esse decebat,
Quàm conuiuantes inter habere locum.
Discis enim finem quem sis habiturus ab illis,
Et quæ te maneant fata futura vides.
Tristitia est risu melior, quia tristia vultus
Signa sui memorem reddere posse ferunt.
Tristitiam sapiens meditatur, gaudia stultus
Omni consuevit tempore vana sequi.
Rectius à sapiente viro obiurgabere, quàm si
Blandimenta viri desipientis ames.
Nam qualem stipule sonitum fecere crepantes,
Quas flamma in medio crispat auara foco:
Tales sunt fatui risus, sed & hoc quoq; vanū est,
Quod stultum sapiens admonuisse tulit.
Nam si ferit malos obiurget & increpet ultro
Quod nimis imponunt pondera magna bonis.
Oderunt mox verba viri, quem perdere tentant,
Affliguntque malis, insidiâsque struunt.
Ergo magis finem rerum spectare licebit,
Quàm que principij causa fuisse queat.
Vir bonus est, animo qui sustinet omnia magno:
Vir malus est, alios qui sine fronte notat.
Nunquam degenerem citò commouearis ad irâ,
Stultum nanque frequens arguit ira virum.*

Ne reputes tecum, cur nam meliora fuerunt
Quam sint hi nostri, tempora prisca, dies.
Non enim sapiens unquam tam frivola curat,
In quibus est opere, quod mcditare nihil.
Nam certum est tam prisca suos habuisse labores,
Quam clades habeant tempora nosira suas.
Diuitiis coniuncta bona est sapientia, nam plus
In vita officiis utilitatis habet.
Nam bona multa homini prastat sapientia, multum
Momenti quoque habent, si modereris, opes.
Verum hoc diuitiis sapientia prestat & antea,
Quod sibi deuinctos viuere sola facit.
Contemplare Deus quacunque creauit, ab ipso
Recta quis instituet sacra suprema Deo?
Qui sapis ergo, bonis presentibus uere laetus,
Aduersas animo fer patiente vices.
Nam Deus esse vices voluit quibus omnia verso
Per tam dissimilem voluerit orbe rotam.
Ut ratio nihil esse manens humana videret,
Cui tuto quisquam fidere posset homo.
Plurima cognoui, sed & inter plurima vidi
Institiam iusto sepe nocere suam.
Hoc quoque prospexi, quod qui vir inutilis esset,
Ex ipsa felix impietate foret.
Ne sapius igitur nimium, nec iustior a quo
Esse velis, ne quid tuo quoque triste feras

Nec tamen accedas stolidis, nec ad impia flectas:
Nam malè qui faciunt ista perire solent.
Vt tamen euites hæc tanta pericula, certa est,
Et qua non falli conditione queas:
Crede Deo, quicumque Deum reuerbitur, istas
Mortiferas pestes perpetuò effugiet.
Cultorem sua sæpe iuuat sapientia, plusquam
Auxilio primi quinque his esse queant.
Nemo est tã sapiens, tam iustus nemo erit vnquam
Quem sine peccato viuere posse putes.
Quare ne vacuam citò delatoribus aurem
Præbueris, res hæc perniciofa tibi est.
De te ne cogare dolos audire tuorum,
Verba que in aure tua vix habitura fidem.
Sis & in absentis quoties sis ipse locutus
Verba apud adstantes non repetenda tibi.
Omnibus his tentata meum sapientia pectus
Erudit, volui discere plura tamen.
Iam supra humanos conantem ascendere sensus
Omnia credentem noscere deseruit.
Non capit humana vecors ignauia mentis,
Nullius ingenii vis aperire potest.
Quo sit consilio Deus vsus in omnibus istis,
Condita perpetua quæ stabilivit ope.
Inde opere precium vsu est mihi discere quicquid
Certa aliqua sciri sub ratione potest.

*Impietas quàm stultitia comes addita, quod sit
Impietatis opus discere cura fuit.
Dum meditor, video mulier quod acerbior ipsa
Morte sit, atque omni durior exitio:
Quæ venatorum similis, sed pluribus vna
Tendens occultis retia compedibus.
Illius incauti laqueis captantur amantes,
Illius ignavos vincula dura ligant.
Retia corde gerit, manibus sua vincula neclit,
Ingenio, forma blanditiisque nocens.
Dilectum sibi peste Deus servabit ab illa,
Istos peccator concidet in laqueos.
Ecce, ait, hoc quoque me docuit sapientia, rebus
Ad res collatus, non nisi vera sequi.
Iudice contuleram muliebria nomina fama,
Collatis eadem est causa peracta viris.
Vnus mille virum vix qui tolerabilis esset,
Mille puellarum nulla reperta bona est.
Hoc tamen inveni, quod rectum fecerit ipsum,
Quem genitor terra de genitrice tulit:
In præceptis tamen hunc ipsum retroque relapsum,
Natura partes non tenuisse suas.
Sed cum posteritate sua reperisse malorum
Innumerabilibus funda nefanda modis.
Nam studia in diversa abeunt, multa que per artes
Confundunt sortis munera quisque suas.*

*Tam sapiens quis erit res vt diiudicet istas?
Nemo sat has causas explicuisse potest.
Docti magna viri commendat gratia vultum,
Et fugat atrocis nubila tristitiæ.
Hoc decet, hoc opus est sapientis nomine dignum,
Regis vt obseruet nomina, iussa, fidem.
Inde Deo si teste aliquid iurauerit vnquam,
Exhibitum sancta religione ferat.
Tu vecors ne perge malis insistere, tanquam
A facie posus illius aufugere.
Nam cui confidas alij? quæcunque placebunt
Ipsi, perficiet cuncta potente manu.
Rex aliquid quocunque loco mandarit, ibidem
Esse potestatem qua tenere puta.
Nec quisquam audeat aduersus consistere regi.
Quæ ve ea sint regis querere iussa sui:
Nam qui mandato patienter obedit, ab omni
Liber erit totus colluione mali.
Temporis hora quidē paulopost illa futura est,
Corpora qua pœnæ noxia subiiciat.
Nam Deus hoc statuit tēpus, quo iudicet omnes,
Quo sua pro meritis præmia quisque ferat.
Nec præfrire datur, nec cui contingere possit,
Quid ventura boni, quid ferat hora mali.
Et si scire queat, quid sciri conuenit istuc?
Nemo animum potis continuisse suum.*

D

Nec vires poterunt vlla prodesse potentis,
Proxima cum dira tempora mortis erunt.
Nec spes est se posse ista subducere pugna,
Quæ morti & nobis est obeunda semel.
Nec malus impietate sua seruatus abibit,
Sed mala supplicio conueniente luet.
Talibus insistens studiis ego plurima vidi,
Quæ mala sub magni lumine solis erant.
Alter vt imperio nixus premat alterius res,
Hic vt cogatur iussa superba pati.
Pulchra mali placida degebant ocia vita,
Cladibus assiduus tempora fracta boni.
Sacrilegos vidi post impia facta sepultos,
Principe qui vini prima tulere loco.
Horū nemo fuit memor ampli⁹, hoc quoq; stultū
Hæc quoque res vani plena furoris erat.
Sed quia non subito pœna afficiuntur iniqui,
Innumeris viuunt absque timore mali.
Mille aliquis peccat vicibus, centenâque patrat
Crimina, nec quicquam sustinet inde mali.
Quanquā humana tamē differt patiētia rebus,
Fabulâque hæc multis blanda videtur agi.
Hos solos scio felices tamen esse futuros,
Qui metuunt vera simplicitate Deum.
Quantunuis felix appareat impius, ipso
Hoc misere est, vera quod bonitate caret.

Insper et multos vivat longævi in annos,
Et numeret vitæ tempora multa sua.
Tam subito tamen ipsius quoque vita peribit,
Quam levis in nullo quæ manet umbra loco.
Vidi iterum quo non aliud sit inanius usquæ,
Idque frequens hominum rebus adesse malis.
Debita peruersis iustos mala ferre videmus,
Quæ iustos decuit commoda ferre malos.
Tâquâ iust^{us} agat malè, sint bona facta maloy^{is},
Res est stultitiæ plena, molesta, gravis.
Optima visa igitur, quæ sit latissima, vita est:
Vita suis nunquâ non fruitura bonis.
Qui sapiens igitur, genio indulgebit, et hic est
Optima qui solus commoda fructus habet.
Hinc magis ut sapiam noctesq; diēsque studebā,
Quam sit hæc variis obruta vita malis.
Et ardicti, quia nemo potest rationibus ullis
Nosse creatoris facta stupenda Dei.
Et quanto super his cura maiore laborer,
Tanto plus animo deficiente premi.
Imò ea si sapiens studeat novisse laborem
Perdet, et hoc etiam nomine stultus erit.
His animo contemplatus, constanter inhaerens,
Divina agnoui cuncta ea facta manu.
Quicquid agat sapiens, iustus, malus, impius, ipsū,
Cuncta potestati supposuisse sua.

Nemo etenim nouit num sit vel dignus amari
Aut odio: quis enim talia scire potest?
Omnia ad interitum tendunt mortalia eundem,
Et lex è cunctis excipit ista nihil.
Nò magis euadet iustus, quàm qui impi⁹ est vir,
Non insans sortem sorte praire potest.
Nò sacra placandas faciens libamina ad aras,
Contemnente Deum tutior esse potest.
Tam facere assuetus periuria multa peribit,
Quàm qui sic metuit displicuisse Deo.
Omnibus è rebus, quas desuper aspicit aether,
Hac res exemplo deteriore carer.
Cuncta quòd occasum repetunt discrimine nullo,
Quòd quæ peragenda est omnibus, vna via est.
Nà quia pueniunt eadē omnibus omnia, sani est,
Quod genus humanum possit habere, nihil.
Sic mala quæ faciunt semper peioribus augent,
Donec ad infernas mors vocet atra domos,
Vt canis ætherias qui nondum deserit auras,
Quàm leo, plus aliquid, lumine, cassus habet.
Sic homo viuus adhuc illi, qui nuper ad vndas
Transierit Stygias, antefendus erit.
Hoc etenim præstant viuentes, lumine cassis,
Quòd restare sibi fata futura sciunt.
Hoc etiam quia viuenti sperare relictum est,
Per mala spes animos ad meliora leuat.

Illorum nihil extincti nouere, nec ultra
De vinis aliquid quod meditentur habent.
Sed nec amicitias vitra nouere, nec hostes,
Inuidia quæ nihil, perfidia quæ nihil.
Quid dubitas igitur? nunci, tua dulcia latus
Vina bibe, & latus vescere pane tuo.
Esse etenim debes iam dupum certior, iustum,
Quod non displiceant, quæ facis, ante deum.
Assiduo niteat vestis tua splendida cultu,
Imbuat ornatum nardus odora caput.
Coniugij dulces cara cum coniuge fructus
Carpe, & legitimi perfer amoris onus.
Quæ tibi coniunxit sese iuuenilibus annis,
In seros maneat fac tua sola dies.
Hæc etenim propriè tua sunt, hæc illa laboris
Præmia, qui requiem non sinit esse tibi.
Quæ facienda vides, & quæ facienda putabis,
Vt recte facias, strenuus esse velis.
Horum nanque operum, quorum plenissima vita est,
(Si modo quod plenum est plenius esse potest)
Manibus in mediis quo tam properanter anhelas,
Nec lex, nec ratio, nec locus ullus erit.
Mox didici non esse agilem, qui currere possit:
Quid neque sint fortes, qui fera bella gerunt:
Quodque nec ipsa sibi pariat sapientia victum,
Sed neque vir magnas ingeniosus opes.

Quod non artificii sua per se gratia venit,
Omnia sed casu temporis ista dari.
Nemo suæ melius cognouit tempora mortis,
Quam pisces hamu, quam graue vimen aues.
Sicut aues visco, pisces capiuntur ab hamo:
Sic homo non cautus retia mortis adit.
Sed tamē hic quædā mibi adhuc sapientia visa
Ipsa que, me ceriē iudice, magna fuit. (est,
Vrbs fuit exigua murorum cinctā corona,
De cuius pauci ciuibz intus erant.
Venit & obsessam cinxit rex fortibus armis,
Præcludens positis turribus omne latus.
Vnus erat sapiens tam parua pauper in vrbe,
Seruator patriæ vir fuit illo suæ.
Consiliis siquidem, epulit sapientibus hostem,
Quem ciues armis non potuere suis.
Et fuit ignotus post hic vt & ante periculum.
Nulla quidem ratio pauperis esse solet.
Tunc ego cognoui, quoniam sapientia præstat
Viribus, & valeant arma sine arte nihil.
Et contempta tamen sapientia pauperis huius,
Credita tam longo tempore nulla fuit.
Verba viri quem sublimem sapientia tollit,
Quamquam sedato pectore pauca sonet:
Plus tamen efficient, & plus rationis habebunt,
Quam fera quæ stulti principis ora tonāt.

Instrumenta feri vincit sapientia belli,
Arma, globos, clypeos, spicula, pila, faces.
Interea quicumque aliquo deliquit in vno,
Exiguo magnum tempore perdet opis.
Sicut in vnguentum muscæ cum fortè cadentes
Intereunt fragrans languet & exit odor :
Sic sapienti adimunt permagum sæpe decorem
Paruula stultitiæ signa notata leuis.
Sic graue consilium sapientis sæpe malignus
Dissipat, & fatuo pectore multa nocet.
Cor gerit in dextera sapiens animûmque virilè,
Illius vt possit cum volet esse potens.
Cor gerit in laua fatuus, quia libera nunquam,
Nec compos ratio est illius ipsa sui.
Semper enim comitatur iners ignauia stultum,
Sive abiturus eat, seu rediturus eat.
Et tanquam ipse aliis sapiat plus, desipere oēs,
Et stultos numeris omnibus esse putat.
Si quis te aduersum consurgat fortior, & te
Deprimat, & voti iam sibi compos erit.
Ne te commoueas, nec debes velle priorem,
Tam facili causa, deseruisse locum.
Et cessasse loco sæpe, & simulasse tacendo,
Pluribus oclusit limina certa malis.
Grā te frequēsq; malū princeps ignar' & excors,
Qui loco non a quo diuidit aqua gradu.

Quos nunc extollit deiectos esse decebat,
Despicitur sapiens, premia stultus habet.
Vidi etenim seruos celsis residere caballis,
Ac si hic non dominis debitus esset honor.
Vidi etiam dominos pedites incedere, tanquam
Hic minime seruis debitus esset honor.
Qui foueam fodit, is metuat ne forsitan in illam
Incipiat, et damnum quod parat ipse ferat,
Sepem deiiciens, caueat ne mordicus ipsum,
Dente venenato vipera corripit.
Destituent vires prægrandia saxa mouentem,
Ligna secans raro tempore sanus abit.
Obtusum nimia si sit rubigine ferrum,
Sic ut nec duro rumpere cote queas:
Restat ut auxilium præstet sapientia docti
Artificis, sine qua nil bene perficitur.
Nam res difficiles sapientia sæpe peregit,
Et faciles causas reddidit ante graues.
Sibila qui mittens non vlla momorderit anguis,
Insidiatori dixeris esse parem.
Multa est grauius sapientis gratia verbis,
Obruet hanc stulti perfida lingua viri.
Stultitia verba ipsa sonant quæ prima profatur,
Vltima mortiferi signa furoris habent.
Multa loqui stultus solet, at sine pondere verba,
Et quæ plus vocis quam rationis habent.

Ignorant homines praesentia, nulla futuri est,
Quod ratio haec nunquam cognita teste caret.
Stultos affliget conatus inutilis ipsos,
Quod rectam nequeant prorsus inire viam.
Vivere quod nequeant ciuilibiter, & quia nusquam
Inueniant ubi se posse manere putent.
Heu patria infelix puerum sortita tyrannum,
Cuius auara duces fercula mane vorant.
Felicem patriam cui dat sapientia regem,
Et qui cum sit opus strenuus esse potest.
Cuius tempestiua ferunt conuiuia primi,
Vt valeant, luxu non vt inerte fluant.
Tigna domus domini dissoluet inertia, & intro
Stillabunt pluuij, si sinat ipse, noti.
Tantum ad delicatas coenas & prandia querunt
Sola voluptati, vina parata bibunt.
Horum nequitiae congesta pecunia seruit,
Quam solam magni numinis instar habent.
Ne male quid de rege tuo cum corde voluta,
Praepositos ab eo ne reprehende duces.
Huius enim vocis si nemo aliunde sit index,
Quae in caelo volitat non reticet anis.
Mitte tuum, ne parce, tuum modo prociçe panem
In latum fluuium praetercuntis aquae.
Nam rursum inuenies illum post tempore longo,
Magnum, quae data sunt, munera foenas habet.

Ne tua sit constricta manus, da largiter omni
Cui sit opus, prompta quisquis erabit ope.
Ignoras etenim mala quæ ventura trahantur,
Quidve hodierna ferat, crastina quidve dies.
Si multo fuerint nubes humore grauatae,
Arida fructu feris imbris arua leuant.
Arbor seu pluuium succisa inclinet in Austriū,
Seu Boreæ spectet frigida regna truci:
In quamcunque cadat pars, prostrata recubet,
Nec mutare potest amplius ipsa locum.
Qui ventos nimium ratione obseruat acuta,
In vacuo nunquam semina sparget agro.
Qui metuit pluuias, & nubes imbre grauatas,
Fructiferae nunquam tempora messis aget.
Ventus ut ignoras vnde adsit, quodve recedat,
In grauida quo sint ossa ligata modo.
Sic operum nosces nec de tot millibus vnum,
Quæ magna omnipotens hic & vbique facit.
Tempestiua tuum iace semina mane per agrum,
Nec tua sit sero vespere lenta manus.
Nempe quod ignores, an quæ sata prima fuerūt,
An qua sera boni sunt habitura magis.
Quod si proueniant fructus ab utroque benigni,
Tempore iam voti summa peracta tui est.
Omnibus est lucis grata suauissimus vsus,
Gratum oculo solis posse videre iubar.

Si quis ad ætatis plures pervenerit annos
Suaunter, aduersi cui nihil acciderit:
Inde recordatus quæ viderit omnia, quæque
Senserit; & quæ tam multa fuisse sciat.
Omnia vana fuisse, & fluxa, & inania dicer
Omnia, quod veniens auferat hora breuis.
Obsequere ergo aîu iuuenis, dñ verna et ætas,
Et flos dum nouus est indolis iste tue,
Indulge genio, sequere omnia læta, tuosque
Pascere oculos, animus quicquid amabit ama.
Dum tamen interea tecum meditare, sciâsque
Iudice facta istæ excutienda deo.
Stultitiæ similem ne corruer pronus in iram,
Et tua quod cruciet corpora tolle malum.
Nâque opera incaute sunt omnia vana iuuenta
Et quod post illam tempus, & ante venit.
Ergo creatoris memor, hunc reuerenter adora,
Integra adhuc æui dum viret herba tui.
Ne te præueniant magnorum fæta malorum
Tempora, quique tibi tristior annus eat.
Dicere quæ possis tibi non placuisse, quod illis
Iam subeant animo tædia longa tuo.
Ante tibi tenebræ, quàm fiant omnia, & aura
Nigrescant, lucem Sol neget, astra negent.
Quàm videas reduces pluuiæ post tēpora nubes,
Quàm fuit heu multis hæc odiosa dies.

Fallor, an hæc metues tunc cum custodibus ipsi
 Totius incipiet robur abesse domus?
 Quando incuruabant prono se poplite fortes,
 Fractæ cessabunt organa pauca mola.
 Quando offendentur multa caligine, qui nunc
 Ceu per cancellos, omnia clara vident.
 Ostia cùm stabunt solitarum clausa viarum,
 Exilis trepidæ vox molitricis erit.
 Ad volucrum cantus vbi consurgetur, et omnis
 Ante virens, cantus filia fiet anus.
 Alta viam metuent scientia, cana virebit
 Arbor amygdalino germine facta grauis?
 Quando onerabuntur cariosa membra locusta,
 Non erit in mensa capparidis vlla super.
 Tunc homo qui sensit fierique hæc omnia vidit,
 Ibit in æterna lumina certa domus.
 Funiculus quâquâ hinc argenteus ante feratur,
 Aureoli fontis quàm stupefat aqua.
 Hydria fontanam quàm confringatur ad vnda,
 Quàm gemat ad puteum versio fracta rota.
 Quàm leuis in terram redeat pulvisculus, ex qua
 Ipse quoque existens terra profectus erat.
 Spiritus ad superos redeat, patriamq; renisat,
 Vnde ad mortales ante profectus erat.
 Omnia sunt omni vanissima tempore, dixit,
 Concio cui verax nomina vera dedit.

Qui quia prae reliquis sapiens fuit omnia fecit,
Quem populum possit constituisse suum.
Omnia scrutatus prouerbia plurima scripsit,
Scripta aliis etiam, sed meliora dedit.
Vtilia in primis & scitu digna reliquit,
Et dedit haud falsa plurima scripta fide.
Hoc quae scripta vides sapientum verba libello,
Claues & stimulos dicere iure queas:
Quae licet à multis fuerint descripta magistris,
Sunt tamen ex uno cuncta profecta viro.
Cetera mihi fuge, quae cognoris ab istis
Omnia non sancta tradita verba fide.
Nam loca sunt scriptis nunc omnia plena libelli,
Quorum nec finis, nec modus esse potest.
Et nimis exhaurit vires, corpusque fatigat,
Sermo quem nimium copia longa facit.
Iam quis sit rerum finis, quae meta laborum,
Hoc operae precium noscere grande fuit.
Mente Deum tota metuens quae tradidit orbi,
Condita sub fido pectore iussa tene.
Summa haec humano generi, sed & vnica lex est
Tradita, qua sine lex altera nulla valet.
Omnia iudicio deus haec definiet aequo,
Nunc quoque quae multa nocte sepulta iacet.
Omnia discutiet deus omnibus arbiter aequus,
Sic bona, sic fuerint deteriora nota.